



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Collegiis Canonicoꝝ Per Germaniam, Belgivm,
Galliam, Hispaniam, Italiam, Aliasqve Orbis Christiani
Prouincias, Liber Singvlaris**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1615

Capvt XLIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11227

maturet intellectum eius, aut fictio deciperet animam eius. Placida enim erat Deo anima illius; propterea properavit eum Deus educere de medio iniquitatum. Et infra. Sepultus est Sanctus Dentlinus honorificè in cœnobio Senegienti iuxta Beatum Vincentium genitorem suum, in locello auro, & argento, ac lapidibus pretiosis intexto. Quod cœnobi-um ipse Sanctus Vincentius eleganti satis construxit opere, & stipendijs ac possessionibus magnificè exornavit. Hæc Resenses.

CAPVT XLIX.

MALBODIENSE COLLEGIUM CANONICORUM & CANONISSARUM IN HANNONIA.

S Aldegundis Virgo, in pago Haynoensi. ex regali Francorum profapia originem traxit, parentibus Gualberto & Bertilia. Cùm autem mater eam vellet illustri sociare coniugio, respondit se illum solum concupiscere, cuius prædia sunt cœlum, terra, & mare, cuius fundi & diuitiæ nunquam deficiunt. vnde à VValdetrude, quæ virginis soror nata maior erat, in Castri loco instructa, postmodum ad Sambra Malbodium monasterium construxit, & turbam sanctarum virginum congregavit; quibus prædia sua possessionesque tribuit, quas habebat in pagis, siue territorijs, Haynoensi, Laumensi, Suefsionensi Landunensi, Ostrebâto, Brachbanto, Riboariensi, & alijs. Cumque

Cumque passionem aliquam ut plenè purgaretur vehementer optaret, cancri morbum in dextra mamilla percepit, eumque velut martyrium suum, aut purgatorium dilexit. Sororis suæ VValde-trudis filias, *Aldetrudam* & *Madelbertam*, sic in pietate instituit, ut in monasterij regimine ipsi successerint. Porro Sancta Aldegundis vitæ suæ stadium consummans, cum magna claritate cœlestis luminis, ad vitam migravit æternam. Sepultaque est in villa seu curte Sora; ubi vterque parens tumultus esse dicitur, sed inde translata est Malbodium; quod multis miraculis illustravit. Est autem Malbodium hodie opidum Hannoniæ ad Sabim Fluvium & in eo celebre Canoniarum nobilium, siue Dominarum, aut (ut fundatio habet) ancillarum collegium, quarum Dominio ipsum opidum subijcitur.

S. QVINTINI COLLEGIUM
Malbodiense.

Est in eodem opido insigne Canoniarum collegium, quod *Sancti Quintini* dicitur, ex Malbodiensi Virginum monasterio suam haud dubiè trahens originem. Hi Canonici diuina officia, virginibus non permessa, quotidie celebrant.

G

CAPVT